GRATULATIO
Senatoriæ Dignitatis
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. FRANCISCO SALESIO
in POTOK
POTOCKI
PALATINO VOŁHYNIÆ
Equiti Aquilæ Albæ

Dum primùm in frequentia Procerum, totiusque Nobilitatis
Palatinatûs sui Metropolim adiret
ab Obligatissimo Fundatori suo Liberalissimo
Collegio VARENZENSI *Scholarum Piarum* Studii & Ob-
servantiæ suæ testificandæ causâ

FACTA

Anno Æræ Christianæ MDCCLV.

VARSAVIÆ
Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio
Scholarum Piarum.

In Inſignia Armorum
JLLUSTRISSIMÆ DOMUS
POTOCCIANÆ



Crux Conſtantino multos dedit una triumphos,
Hæc eadem multis vita, ſalusque fuit.
Quæ ſperanda ſalus Patriæ, Domuique, Tibiquè,
Tres in PILAVA ſi geris uſque Cruces?

PANEGYRICUS.

SI quando universa Respublica, omnesque Cives incredibili quâdam visi sunt perfundi voluptate, tunc certe potissimum, cum Te, JLLUSTRISSIME PALATINE, Senatoria dignitate ab AUGUSTO III. justo virtutis & meritorum Judice exornatũ in ultimo Senatûs Consilio didicerunt. Statim enim ac hæc totô Regnô percrebuit fama, esse Te in amplissimum Senatorum Regni Ordinem cooptatum, tanta omnes, quibus Tuus in Patriam amor probè perspectus est, incesserunt lætitiâ, ut ex hac dignitatis Tuæ amplificatione mox ea sibi polliceri bona non dubitârint, quæ ab Optimis veteris illius Reipublicæ Senatoribus vel sperari desiderarive possint, vel laudari consveverint. Ea enim est, fuitque sẽper de Te præclara omnium opinio, nullum Te aut Patriæ amantiorem, aut dignitatis Reipublicæ augendæ studiosiorem, aut defendendæ libertatis vindicem & propugnatorem acriorem hâc tempestate haberi. Quamobrem cunctorum Civium

à cōpluribus jam annis id in votis erat, ut Te quantocius eô in Republica locô viderent, ex quo Tu, veluti ex quadam ſpecula univerſorum ſaluti, integritatiquè proſpiceres, ſtudiorumque Tuorum in Rempublicam magis magisque declarandorum uberiorem nanciſcereris copiam. Quodſi univerſi, qui hujus Patriæ ſolô continentur, id ita de Te ſenſerunt, id optârunt, idque jam eveniſse majorem in modum gaudent; quid verò de clariſſima Voſhyniæ Provincia judicandum ſit? quô illa non diffundatur gaudiô, cum Te ſui Senatûs, Equeſtrisque Ordinis Principem eſse ſibi à Deo & Rege conceſſum intelligit, totamquè ſe incomparabili prudentiæ Tuæ dirigendam ultro alacriterquè committit? Certe lectiſſimus hic Luceoriæ Nobilitatis concurſus, hæc tanta populi frequentia, totiusque Civitatis ac omnium Provincialium effuſa multitudo, quæ Tibi obviam occurrit, Teque certatim ſalutat, nullum Tibi locum dubitandi relinquit, Provinciam hanc aliis amplisſimis, fortiſſimis, locupletiſſimisque, totô Imperiô parem, Te Palatino, Te Duce, ultra quàm verbis poſſit exprimi, lætari, tripudiare, exultare. Sed ſit hoc jam ſacrum perpetuumque famæ ac celebritatis Tuæ ad poſteros monumentum, æquè perinde totam Rempublicam, atque hanc, cujus Comitiis es præfectus, Provinciam, de Tuo honore, deque Tuo ad primam Voſhyniæ curulim delectu vehementer gaudere.

Enimvero quid mirum tanta animorum conſenſione probari Palatinos faſces Tibi eſse à ſapientiſſimo collatos Principe? Scimus enim permultos fortaſse præter aliquam nominis claritudinem non ab ullis in Rempublicam meritis, ſed ab ipſis, quos gratia Principis conſecuti ſint, titulis, purpuris, & honoribus, decus omne, omnemque derivare lucem; à Te vero Purpuræ ipſi Senatoriæ lumen maximum decusque afferri. Honori ipſi honorificum eſt, quod Tu illum ſuſceperis. Tu potius Senatoriæ dignitati, quàm illa Tibi, ſplendorem addidit. Hæc de Te præſtantiſſima, communiſque omnium cogitatio, hoc illuſtre judicium, tantum mihi, fateor, voluptatis attulit, ut rem hanc pro præcipuo Orationis meæ argumento, quam nomine

Colle-

Collegii noſtri Varenzenſis Tibi obligatiſſimi inſtituendam ſuſcepi, aſſumere non dubitarem.

Erit fortaſse nonnemo, qui me in hoc novo dicendi genere laborantem reprehendat, quod cum Senatoriam dignitatem in Te celebrandam ſuſceperim, quaſi mutatis velis ad id tractandum me ſubito converterim, quod alienum quodammodo ab inſtituto Orationis meæ curſu videtur. Quid enim ſibi volunt, inquiet ille, hæ tam inuſitatæ omnium lætitiæ, tam inauditi totius Poloniæ applauſus, & gratulationes, ſi nihil PALATINO ſplendoris Senatoria dignitas tribuit? Unde hæc ipſa gratulatio, quam illi inſtituere paras? in aliud potius, quam hoc, rejicienda erat tempus, ſi Jllum laudibus Tuis, & non honorem hunc, quem illi omnes in præſentia gratulantur, in Eo celebrare intendis. Ad quæ quidem omnia, quicunque demum ille fuerit, qui mihi talia obijcere in animo habuerit, ſi modo patienter JLLUSTRIS: PALATINE audire me volueris, quod profecto ad majorem Tibi cedet gloriam, ita reſpondebo.

Non me latet quanta dignitas ſit Senatorem agere, & Cicero clariſſimum illud cùm ob eloquentiam, tum ſummam rerum gerendarum experientiam Romani Imperii lumen, qui totus in hoc Magiſtratu conſenuit, multis in locis ita illius excellentiam & præſtantiam celebravit, ut Reipublicæ noſtræ, quæ tota fere ad Romanam conformata eſse videtur, ad aſserendam Senatoriæ dignitatis authoritatē, ſi domeſtica (*a*) non haberemus, ſapientiſſima illius ſufficerent teſtimonia. Novi, inquam, quàm graviſſimum ſit Senatoris munus, neque ad conſervandam ſuſtentandamque Reip: integritatem quidquam illô aut utilius aut ſalubrius reperiri poſse cenſeo, illudque ipſum,

 quod

(*a*) Priſcis temporibus viva lex erat, Rex ſive Princeps; Qui cum unus in tam amplo Regno omnia neque præſtare, neque providere, ac ne judiciorum quidem difficultates recte explicare poſſe videretur, & lubricus autem proclivisque ad Tyrannidem gradus in ſumma poteſtate eſſe ſoleat, adhibiti ſunt, ei Senatores ſive Conſiliarii, qui & Conſilia, actionesque ejus ad ſalutem Reip: & judicia ad juſtitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis conſiliisque ſalubribus, quaſi vivis quibusdam legibus pro re nata cùm animum ejus informarent, tum poteſtatem modificarentur. *Cromerus de Rep: & Magiſtratibus Polonorum.*

quod Tullius de Amicitia, ego de Senatoribus afserere non vereor: eos nimirum de Rep: velle tollere, idem efse, ac tollere ſolem è Cælo. Jlli enim ſunt, qui Rempublicam ſaluberrimis ſuis conſiliis ad incrementum alunt, immaniſſimos hoſtes prudentiæ & ſapientiæ ſuæ vi à finibus illius arcent & propulſant, leges ne corrumpantur cuſtodiunt, vitia ne virulento ſuo halitu totam optimorum Civium corrumpant maſſam, caſtigant & abradunt, virtutes fovent, totamque Reip: molem, ne labatur & ad interitum vergat, quaſi quibusdam humeris ſuſtentant. Jlli inquam, ſplendorem Reip: tribuunt, dignitatem augent, & pulcherrimis ſuis factis gloriam immortalem conciliant. Neque enim Lacedæmoniorum, Athenienſium, Romanorum, aliasque florentiſſimas noſceremus Respublicas, niſi illas clariſſimi illi Viri, quos Athenienſibus Archontes, Spartanis Ephoros, Romanis denique à gravitate ſenectutis Senatores appellare placuit, ſuis ſapientiſſimis muniviſſent legibus, ſaluberrimis firmaſſent inſtitutis, pulcherrimisque illuſtraſſent factis. Hinc tanta cùm ubique, tum in hac noſtra clariſſima hac ætate Polona Republica Senatorum fuit veneratio & authoritas, ut quidquid illi juberent, id omnes amplecti, in eorumque ſententiam pedibus ire non vererentur, quod ſalutem integritatemque ſuam & Reipublicæ, in eorum dignitate, conſiliis, & præceptis ſitam eſſe non dubitarent. Cæterum omnia hæc præclara Senatorum decora & ornamenta quamvis ſemper tam excelſa & magnifica ab omnibus haberentur, ut nihil deefse illis videretur, qui in hoc ſacerrimo cenſerentur ordine, plures tamen legimus, qui hoc conſpicui honore, tantis Rempublicam ſuam affecerunt calamitatibus, ut illa propter ſummam eorum dominandi libidinem, ſceleſtiſſimamque vivendi licentiam etiam de ſalute ſua periculum faceret. Qua in re ne longe exēpla repetam: Sulla & Marius ambo Conſules, Catilina vero Senator Romanus fuit; quid vero illis hæc ornamenta honorum ſplendoris attulerunt? ecce hic latro & incendiarius Patriæ, illi vero ex Conſulibus hoſtes Reip: & teterrimi carnifices effecti immaniſſimis ſuis ſuppliciis adeo Romanum exhau-

exhauſerunt ſangvinē, ut majorē prope partem Civium è vivis ſuſtulerint. O! præclaros Senatores, ex quibus Respublica tales ac tantos meruit habere Tyrannos, illorumque illuſtrare ſtudendo nomina, ſibi induxit tenebras & ſquallorem. Quid Wsieborio in annalibus noſtris aut lectu aut memoratu poteſt eſſe fædius, qui Crivouſtum Ducem noſtrum tot victoriis ex variis Gentibus populiſque relatis inclytum in acerbiſſima illa ad Haliciam pugna turpi probroſaque deſeruit fuga? & tamen ille Palatini Cracovienſis munere functus in Senatorum cenſebatur numero. Quid? in fædiſſima illius actione, attulitne illi quidquam ſplendoris Senatoria dignitas, quam primam in Polonia tunc noſtra obtinuit? profecto in tam turpi facto neque præſidio illi fuit, neque eum ab ignominioſa ſervavit morte. Sed ne in uno hærere ſolum videar, & dum ſplendorem hominibus non à Magiſtratibus accedere contendo, ne Senatoriam dignitatem argumentis elevare & extenuare videar, lubet ad alios tranſire, & in majoribus idem fere contingere honoribus eſt animus indicare. Quid Nerone illo turpius aut natura in lucem edere, aut terra immanius monſtrum procreare potuit, cujus riſus lachrymas populo eliciebat, lætitia gemitum concitabat, furor denique divina humanis permiſcebat? illum tamen ex Nobiliſſima Juliorum Familia procedentem Imperatorem florentiſſimæ Romanorum Monarchiæ fuiſſe accepimus. Quid autem Imperatoria dignitate aut excellentius quidquam aut honorificentius in mundo illô ævô fuit? de illa tot clariſſimi Viri inter ſe armis dimicabant, ut ſaltem uno die illius deguſtarent ſvavitatem; illam adeo ſublimi collocabant loco, ut Divinos etiam illi deferre non dubitarent honores. At vero Nero non humano ſed ſtygio potius ſemine procreatus ex tam præſtantiſſima dignitate quid emolumenti retulit? mutuavitne ſibi hunc ſplendorem, quem illa habere ab omnibus credita eſt? compeſcuitne veſanum illum furorem, animique belluinam ferociam, ad quam à natura propendere viſus eſt? minime vero; ſed eos, quos à pueris hauſit ſpiritus, uſque ad virilem retinuit ætatem, & in quibus

 ſcele-

ſceleribus vixit Nero, in iiſdem mortuus eſt Imperator. Jam vero Lubomirios, Potoccios, Mieleccios, Zamoyſcios, Czarneccios, Koniecpolios, innumerabilesque alios clariſſimos Patriæ noſtræ Imperatores, qui Rempublicam hanc ſtabiliverunt, armiſque defenſam, & ex faucibus hoſtium non ſemel ereptam, tranquillam, florentemque poſteritati reliquerunt, in quibus recenſendis ex Romanis Brutos, Decios, Ahalas, Gracchos, Scipiones, Lentulos in Deorum numero ac cætu collocatos, ex Græcis vero Miltiades, Themiſtocles, Epaminondas Divinis honoribus affectos non eſt mihi opus ut commemorem, eorumque pulcherrima facta, diſciplinæ militaris ſcientiam, bellicaſque artes cum iſtis comparem, ſemper enim Patria noſtra totum hunc ſuum, quem habuit & habere poteſt ſplendorem illis in acceptis referet, eorumque nomina & facta ſummis celebrabit laudibus; quid quæſo ad hunc, in quo nunc ſunt, gloriæ evexit apicem? quid illis tantam etiam apud barbaras gentes conciliavit venerationem, ut hucuſque eos commemorare, & fortitudinem, dexteritatem, cæteraſque eximias eorum virtutes prædicare non erubeſcant? Virtus profecto claros eos effecit, virtus eam, quam habent, dignitatem illis tribuit, virtus eorum Magiſtratibus, quos glorioſe geſſerunt, ſplendorem attulit, ut non Senatores tam pulcherrimis Poloniam rebus illuſtraſse, ſed eorum virtutem iiſmetipſis, Poloniæquè lucē attuliſſe omnibus ſit in confeſso. Sed ut jam illuc, unde paulo ante digreſsa eſt oratio mea, redeam, vide quæſo JLLUSTRIS: PALATINE, quo rem hanc totam deducam.

Cum ex his, cæterisque aliis Hiſtoriarum exemplis, quæ, longus nimium eſſem, ſi ſingula oratione perſequi cuperem, liquido conſtet, alios quamvis maximis honoribus fulgentes, infames tamen officinasque vitiorum fuiſse, alios vero clariſſimos honeſtiſſimoſque extitiſse; atque adeo alteros obſcuraſse, alteros illuſtraviſse Magiſtratus, quos geſſerant, tantumque illis, quantum ab aliis detractum eſſet, ſplendoris addidiſse, hinc itaque jam manifeſto ſequitur, quod fateri omnino neceſse ſit, non homines ab

hono-

honoribus, ſed honores ab hominibus, ſi ii probi ſint, illuſtrari conſveviſse. Honor enim honoratum ſolum non probum efficit, probitas autem honorem commendat; atque uti umbra ſine ſole, ita honor abſque virtute intelligi & concipi nequit. Quodſi honores præmia virtutis ſint, nullique alii ad hunc ſummum ordinem, ut Tullius de Senatoribus loquens inquit, aditus pateat, niſi induſtriæ atque virtuti; honorē proinde toties is imminuit, qui eum ſine virtute gerit. Tunc enim ſolum clarior & illuſtrior honor reſplendet, cum ad eum ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, cæterarumque virtutum comitatus, conformatioque quædam morum accedit, quæ omnia ſi illi detraxeris, non honorem, ſed inane ſimulacrum honoris efficies, nihilq; in Te præter titulum honoris habebis.

Quod cum ita ſit, jam adverſarii mei argumentis ſatis factum eſse credo; ac proinde perfacilis mihi totius orationis curſus, à quo me harum rerum tractatio paululum abduxit, oſtenditur, eò itaque, quò inſtitui, vela orationis meæ converto: atque id imprimis à Te JLLUSTRIS: PALATINE peto, ne, dum Te in Senatoria dignitate laudibus effero, Teque illi ſplendorem tribuere contendo, Senatoriam dignitatem à me obſcurari & extenuari putes; tantum enim à me abeſt, ut iſtam cogitationem aliquando in me admittam, ut potiùs omnes ingenii mei vires in id intendam, quo ex Tuarum virtutum fulgore illius demonſtrem ſplendorem. Dum enim aſſero Te dignitati Senatoriæ, non illam Tibi ſplendorem tribuere, per hoc evincere conor, Te omnia illa animi ornamenta, quibus illam cum ſumma Tua gerere poſſis gloria, ad eam Tecum adferre, non vero ab ea mutuari. Semper enim in hac ſum fuique ſententia, quod Senatorem eſse nihil ſit in hac noſtra Rep: aut honorificentiùs, aut digniùs, Tua me nonniſi gravitas, ſapientia, & magna virtutum omnium varietas ab hac opinione revocavit, ut id in Te celebrare mihi propoſuerim, ex quo Tibi dignitatem Senatoriam commendare debueram: quod tanto libentius facio, quo uberiorem de Te dicendi, honorisque hujus in Te celebrandi nanciſcor copiam. Ex hac enim

præstantissimarum laudum Tuarum tractatione, quantum Tibi gloriæ, tantum etiam honori Tuo splendoris accedet, quod is sis, qui eum egregie sis gesturus, & factis, consiliisque Tuis abunde illustraturus. Sed ne ejusmodi res verbis exaggerando littus solum, ut ajunt, legere videar, ut in altum pulcherrimarũ laudum Tuarum me conjiciam, jam tempus mihi instare sentio. Quare dum Generis Tui claritatem, meritorum magnitudinẽ, virtutum denique omnium compendium in Te oratione celebrare intendo, ex his tribus quantus Tuæ huic dignitati, totique Senatorio Ordini accedat splendor, jam me attentè audire, sicuti hactenus fecisti, pergas.

Qui de moribus, vitaque Civili scripsêre, quamvis primo loco eam laudem, quæ virorum propria sit, à virtute sumendam censuerunt, non in postrema tamen classe eam posuêre, quæ à Nobilitate Generis proficiscitur. Intelligebant namque sapientissimi Viri nonminus lucis ac splendoris virtutem generi, quam Nobilitatem Generis afferre virtuti. Quæ eorum verissima sententia adeo omnium hominum insedit mentibus, ut nemo jam modo sit, qui claritatem generis inter maxima fortunæ bona non collocet. Eo magis tamen in hac sua confirmari videntur opinione, quo magis experientiâ certissimâ rerum omnium magistrâ discunt, imbelles ex imbellibus, ex fortibus vero fortes provenire Viros. Quod quidem nemini mirum videri debet, si penitius rem hanc introspicere voluerit. Nam si in brutis animantibus, in plantis, atque arboribus ita naturâ comparatum videmus, ut ea plerumque seminariam vim bonitatemque referant, quanto magis id consentaneum est usuvenire hominibus, quibus & natura & disciplina datum est, ut majorum suorum imagines agnoscere eorumque præclara facta sibi ad imitandum possint proponere? Non frustra certe Romani illi veteres, à quibus plurima ad nos, & pulcherrima vitæ instituta manarunt, atria ædium, porticusque Majorum imaginibus ornabant, easque in funerum pompa circumferebant, nisi ut ostenderent, quantum Nobilitati sit deferendum, quantusque illi honor sit habendus. Ingentes

enim

enim ſunt ad virtutem ſtimuli majorum laudes, factaque fortia. Hinc ſi Militiadis trophæis è ſomno excitari Themiſtoclē accepimus, quanto magis excitari, & ad optima quæque agenda accendi debent ii, quibus intra domeſticos parietes, quocunque ſe vertant, occurrunt monumenta virtutis & gloriæ? Quare ſi quod eſt tantū beneficiū, quod Deo Op. Max. acceptum referre debeamus, certe illud eſt præcipuum, ſi ſummo & illuſtri loco naſcimur. Tu itaque JLLUSTR: PALATINE ſi quid habes, unde potiſſimum lætari & gloriari poſſis, profecto illud erit maximum, quod tam Nobiliſſimæ clariſſimæque genus & originem Tuam debeas Familiæ. Natus es enim in illa Domo, quæ ſtatim ac in Polonia florere cæpit, arx quædam ſemper & propugnaculum libertatis fuit, ex qua, veluti ex equo Trojano, tot clariſſimi belli paciſque artibus inſignes prodiêre Viri, qui Remp: hanc noſtram tantis auxerunt meritis, illuſtrarunt virtutibus, & ad eum gloriæ egregiis ſuis factis evexerunt apicem, ut illorum conſiliis, fidei, vigilantiæ, dexteritati omnem ſuum in acceptis referat ſplendorem. Fuerunt quidem ſemper Viri conſervandæ Patriæ amore flagrantiſſimi, Imperatores dēfendendæ illius ſtudiô clariſſimi, Senatores vindicandæ ab interitu ſaluberrimis ſuis conſiliis Reipublicæ ſtudioſiſſimi, ſed ut interrupta Familiæ ſerie eô in Patriam ferrentur ſtudiô, ut eam conſilio, labore, induſtria juvarent, armis, totiſque corporibus ſemper protegerent, hoc præter Vos conceſſum eſt nemini. Quod enim per Deum immortalem tale fuit unquam in Polonia tempus, quô omnes Ordines Veſtrorum Nominum pleni non eſſent? quod bellum abſque Vobis geſtum? quæ conſilia peracta, quibus Vos non interfuiſſetis, Veſtramque ſententiam non diceretis? Vos in bello fortiſſimi Imperatores, Vos in Senatu graviſſimi Senatores, Vos in Curia diſertiſſimi Oratores, in exercitu robuſtiſſimi Primipili ſemper eſtis obſervati; ſine Vobis vana Conſilia, elumbis eloquentia, anceps bellum & Victoria ſunt viſa. Nam ut inde repetam, unde omnis Veſtrorum Nominum dimanat ſplendor, quamprimum Domus Veſtra incrementa ſua in Polonia ſumere cæpit, cujus ori-

 ginem

ginem ab ipſo *Zyroslao*, qui temporibus Boleſlai Crivouſti in Polonia floruit, ducitis, tanta ſtatim illuſtrium Virorum ſemper fuit copia, ut illi omnes quodammodo poſſidere dignitates, omnibuſque Reip: negotiis pertractandis adhiberi digni habiti fuerint. Hinc ſive periculum aliquod Patriæ inſtaret, ad illos de ſalute & fortunis Civium dimicandi deferebatur provincia; ſive de pace fæderibusque cum hoſte paciſcendis agendum eſſet, illorum fidei, prudentiæ, & induſtriæ hoc tam graviſſimum committebatur negotium. Longus profecto eſſem, ſi hac Oratione clariſſimos ornatiſſimoſque Gentis Veſtræ Virós ab ipſa repeterem origine, & in recenſendis pulcherrimis eorum factis immorari cuperem; tanta namque eſt rerum ubertas, tanta Imperatorum, Senatorum, omnique honorum genere inſignium multitudo Virorum, ut ſi illorum indicem texere vellem, in immenſum proculdubio excreſceret Oratio. Nihil itaque hic dicam de Alexandro primo & præcipuo Gentis POTOCCIANÆ ſurculo Zyroſlai Filio, quem Łokietkoni noſtro ita carum fuiſſe Hiſtoriæ Gentis noſtræ memorant, ut nunquam à latere ejus diſceſſerit, & JOANNE (*b*) ejus Filio, qui in defendenda Caroli Hungariæ Regis ſalute ſingularem ſuam fidem, & incredibilem oſtendit fortitudinem. Nihil dicam de JANUSSIO (*c*) Cracovienſi Palatino, & NICOLAO (*d*) Pro-Cancellario Regni, quorum alter Cracoviam Regni ſedem à Conrado, alter Vilnam Lithuaniæ compendium à Vitoldo

(*b*) Felicianus quidam de Zaachorũ familia, ſtricto gladio in Cænaculo Carolũ Regẽ adortus, ſed fruſtratus ictum dexteram modo ejus levi ictu perſtrinxit, Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputavit; filios vero prædagogi accurentes objectu corporum ſuorum protexêre. Mox parricida à Joanne Potoccio nobiii Juvene proſtratus concurſu ſatellitum membratim diſsectus eſt. *Sarnicki Annal: Polon: libr:* 6. *ſub an:* 1330. *Dlugoſsus quoque ſic de eo habet:* Joannes Filius Alexandri Potocki adoleſcens ingenuus, qui Dapiferi officio fungebatur, Felicianum in Pueros Regios crudelitatis & necis opera edere anhelantem, primus aggreſsus, ſic ictu inter collum & ſcapulas inflicto repreſſit, ut corruens deflueret præceps in terram. (*c*) Eorum reditu cognito Palatinus advolat, & facta manu conjunctisque viribus Cracoviam in poteſtatem ſuam redigunt, ejecto Conradi præſidio. *Cromerus lib:* 8. (*d.*) Veritus eſt autem Vladiſlaus Rex ne Vitoldus Vilnâ, Ruſsorum impenſius illi faventiũ proditione per inſcitiam & ignaviam Skirgellonis potiretur, miſit Nicolaum Procan: Poloniæ cum mediocri Militum Polonorum præſidio & apparatu bellico, ut arcem utramque tueretur &c. *Cromerus lib:* 15.

do oppugnatam ſervavit, armiſque ſtrenue defendit. Nihil dicam de ADALBERTO fortiſſimo Gentis Veſtræ Viro, qui octuaginta annis, cum Valachis, Boruſſis, Tartariſque variis temporibus dimicando totus in armis conſenuit; de MATHIA, qui eô erat ingenio, eruditione, & prudentia, ut Sigismundus Rex Filium ſuum adhuc impuberem Sigismundum Auguſtum ejus curæ inſtituendum tradiderit; de NICOLAO (*e*) Generali Terrarum Podoliæ Præfecto, alteroq; NICOLAO (*f*) Palatino Bracłaviæ, qui inaudito ſane ad poſteritatis memoriam exemplo, dum cum Sigismundo III. Rege Smolenſciam oppugnaret, primus muros civitatis illius conſcendit, obſeſſoſque tanta admiratione hoc facto ſuo pulcherrimo perculit, ut illi ſtationes ſuas deſerentes diffugerint, faciléq; noſtris ad expugnandā urbē opportunitatē dederint. Et quoniā tam multorū clariſſimorū Virorū laudes ſilentio præterii, ne injuriam itaque illis facere videar, neque hic STANISLAI Palatini Cracoviæ, qui Guſtavum Svecorum Regem ſub Sigismundo III. memorabili clade ad Gorzdnam affectum è finibus Patriæ ejecit, Baſiliumque Szeremetovium ſub Joanne Caſimiro Rege ad Ochomatovum Cudnovumquè inſignibus relatis victoriis profligavit; STEPHANI Bracłaviæ Palatini, qui pluribus, cum Turcis, Moldavis, Valachiſque dimicando præliis, ſemper victor ex acie redibat

(*e*) Cum eſset nobis per multa & varia eximiæ virtutis exempla ſpectata fides atque integritas Generoſi Nicolai Potocki, quam ab ineunte ætate ſua adhuc Divo Parenti noſtro in ejus aula educatus, deinde etiam in noſtra per multos annos ſplendidiſſime verſatus, teſtatam reliquit. Plurima inſuper documenta egregii animi atque fortitudinis in militia pro tuendis finibus Regni noſtri diſpendia ſuſcepta præbuit, adeo, ut omnium, & noſtro judicio dignus exiſtimatus eſt, ut inter alios Patricios Nobiles et ſtrenuos Viros de Rep: bene meritos ad præmia meritæ virtutis vocaretur. *Ex Privilegio Sigismundi Auguſti.*

(*f*) Expertam centies animi pectoriſque fortitudinem ſinceritatis Tuæ, quam nobis & Reip: una cum Tuis Fratribus nobis dilectis explicatam eſse voluiſti in gravi hoſtium excurſione, præcipue vero Valachis & Tartaris hoſtiliter depaſcentibus terras noſtras, audaci ſemper fronte, nec ſumptûs nec vitæ reſpectum habendo, animose, & cum admiratione multorum, noſtroque fructu ſtetiſti. Et in hac Moſcovitica expugnatione ad Smolenſcum nullum periculum retractaſti, ſed ſponte jam ex ſubterraneis cuniculis igne ſulphureo omnia depaſcente, muros Smolenſci, cuſtodibus hoſtium repreſſis ipſe perſonaliter conſcendiſti. Regimen quoque in Smolenſciana arce commiſſum, recto conſilio, prudentia, dexteritate perfeciſti. Conſtituimus Tibi pro meritis regratificari, & initia præſtando Palatinatum Bracłavienſem &c. &c. *Ex Privilegio Sigismundi III.*

bat, JACOBI (*g*) Succamerarii Halicienſis, STANISLAI (*h*) primum Caſtellani Cameneciæ poſt Palatini Bracſaviæ Regnique Campiducis ſtrenuiſſimi; CHRYSTOPHORI celebri ſua ad Rudolphum II. Imperatorem Legatione clariſſimi; NICOLAI Palatini Cracoviæ, Supremique Ducis Exercituum Regni; PAULI Caſtellani Cameneciæ monu-

(*g*) *EPITAPHIUM quod in Eccleſia Buczacenſi viſitur.*

Siſte parumper iter percutrens buſta viator,
Perlege, ſed mæſtus Sarmata luge precor.
POTOCIUS recubat gentis generoſa propago
Vandalitum, lapidis mole tegente caput.
Quem Scytha, quem Valachus, quem Turca timebat iniquus,
Hunc brevis urna capit, pulvis & umbra tenent.

(h) Geſſit in Patria illam ac talem occupationem, ut nedum generis ſui claritatem incomparabili gloriâ ſuperaret, & acceptam in Majoribus lucem ita novo virtutis ſplendore cumularet, ſed etiamſi nobiliſſimæ Familiæ decora antiqui non protuliſſent, ſummum Jlle genti ſuæ ornamentum extitiſſet. Nam poſt exercitam Juventutem in Academiis Regni, dum in cæteris nationibus perfectiorem literarum promotione, & linguarũ experientia reddidiſſet, Achilleum pectus ſanguinis generoſitate bullientem ad negotia martialia convertendo, hoſtem Patriæ à Moldavis, Turcis, Scythis, Coſacis, Moſchis, Pruſſis congeſtum, vita & fortuna poſtpoſita, repreſſit fortiter & continuit Jlle cum Parente Jll: Rokoſianum tumultum diſruperat; Jlle Conſtantinum Palatinum Moldaviæ cum Jll: ſuo Patruo Joanne, Regio juſſu & Senatus conſenſu, in Principẽ firmaverat & ſtabiliverat; Jlle Skinderbaſæ potentiam in Cecora uſque ad ultimum poſse cũ bellatoribus fortiſſimis repreſſerat; Jlle Turcarũ agmina cum Oſmano Imperatore non vacillanti pectore ſuſtinuerat; Jlle Tartarorum incurſionem, ipſaque virium hoſtilium cunea, ad Buſſam cum Zolkiewſcio, ad pontem Bary cum Koniecpolſcio fudit, diſſolverat; Jlle in Pruſſia à Supremo militum conſtitutus, in caput Guſtavianam fortitudinem pauco exercitu, & abſentibus primis Rothmagiſtris & Ductoribus, tam forti pectore debilitavit, ut recedere hoſtes, nec amplius turmas militum diffundere in noſtros debuerint Quid dicam de excurſione contra Tartaros, qui transjecto flumine Neſtro, cum multa præda aufugiebant quos Jlle una cum Fratre ſuo Capitaneo Camenecenſi ad 15. millia inſecutus fuit, plurimoſque è captivitate liberatos, etiam in captivitatem Principes Scytharum acceperit? Quid referam, quàm forti animo cum Abaſio Paſa ad Studencĩa pugnaverit, & quàm potenter Coſacos rebelles ad Niedzwiedziełozy, Boroviciam & Starzec expugnaverit? Sed quid tanti Viri laudes inops celebrabo, quem facta majora, actusque generoſiores in dies magis ac magis commendant abundantius? Dicent poſteri,& ampliori ſtylo Hiſtorici, quorum eſt majorum Virorum & excellenti virtute præditorum laudes celebrare; ut & illis quoad fieri poteſt pro meritis ſuis gratia referatur,& cæteri habeant,unde virtutis & laudis exempla petant, & quo ad bene merendum de ſuis incitentur: mihi vero ea vel primis labris attingere ſufficiat. *Okolſki Tom: II. pag: 407. Articulo Pilava.*

monumentis (*i*) à ſe luce publica donatis in Republica literaria clariſſimi, Parentis ſeptem Filiorum feliciſſimi, cæterorumque præſtantiſſimorum Virorum res præclarè geſtas commemoro; adeo enim ſuorum factorum multorumque in Patriam meritorum pleni ſunt libri,ut ea omnia in hanc Orationem conferre ſupervacaneum omnino eſſet ac inutile. Ad illos jam propero, qui hâc noſtrâ ætate, hiſque noſtris floruerunt temporibus,factiſque ſuis pulcherrimis ita omnium perſtrinxerunt oculos, ut ad illuſtrandam claritatem Gentis veſtræ nihil ipſis majus quidquam, aut præſtantius adferri poſſit.

Atque ut initium dicendi ſumam à THEODORO Primate primoque Regni Principe Archiepiſcopo Gnezneńſi PAULI Caſtellani Camenecenſis Filio, quem propter ſummam authoritatem & virtutis & Ordinis primo loco pono, quid illo illuſtrius ad commendationem Familiæ Veſtræ eſse poteſt? Js erat Princeps, cui pares paucos, meliores nulla ferent ſæcula. Nos ipſi, quamvis multi eum non vidimus, ex his tamen, quæ de illo tam multa & præclara dicuntur, ita de eo optimè & honorificè ſentimus, ut eum & admiremur & diligamus, neque cum illius fide, prudentia, gravitate, cæteriſque pulcherrimis animi ornamentis quenquam conferendum eſse putemus. Quid vero dicerent illi, qui illâ vixerunt ætate, qui illius facta actionesq; ſunt cōtēplati? certè uno omnes faterentur ore, neque ad gerendam tantam tamque excelſam & ſublimem dignitatem quidquam illi defuiſse, neque in rebus gerendis ſolertiorem, neque in literis doctiorem, neque denique in vita hac civili urbaniorem illô quenquam exſtitiſse. Erant enim in eo omnes dotes, quæ tanto Principe ſunt dignæ. Gravitas cum comitate conjuncta, quæ prima hujus ordinis dos eſt, tanta in eo reſplenduit, ut neque authoritatem ſuam à quopiam im-

 minui

(*i*) Opera quæ in lucem publicám vulgaverat *Paulus*, Nieſiecki *Tom: III.* *pag:* 703. Articulo *Potocki* ſequentia recenſet: 1*mo* Exercitationes Oratoriæ lucubratæ in ſeceſsu Patavino. 2*do*. Hiſtorico-Politicus, ſive Quæſtiones hiſtoricæ & civiles ex libris tribus Livii concinnatæ. 3*tio*. Sæculum Bellatorum & Togatorum,ſeu Centuria clariſſimorum Virorum Polonorum & Lithvanorum. 4*to*. Moſcovia, ſive brevis narratio de moribus Magnæ Ruſsorū Monarchiæ.

minui, neque Eam ſupra cæteros ita efferre paſsus ſit, ut cæteris inde aliquid detraheret. Humanitatem, benignitatem, affabilitatemque ita coluit, ut idem ſemper eſset, qui ante fuit, neque cum tanti acceſſione honoris imminuti in eo mores, ſed aucta tantùm dignitas apparuerit. Quanta vero ſermonis dulcedine & elegantiâ, quantâ perſpicaciâ ac memoriâ, quàm aptis rationibus & poſtulata colligeret, & petentibus reſponderet, nemo unquam ſine admiratione potuit audire. Obſervabat illud, quod eſt Principis proprium, ut ſive concedendo, ſive negando neminem à ſe triſtem dimitteret. Quis vero tantâ facundiâ præditus, qui magnificas ac ſalutares ipſius de Rep: cogitationes appoſito valeat explicare ſermone? Omnem curam, mentem, diligentiamque ſuam in eo ponebat, ut Patriam pacatam, tranquillam, florentemque ſemper videret, eoque omnia ſua conferebat ſtudia, unde illi maximum adferri poſset decus & ornamentum. Pacis ita Studioſiſſimus ſemper erat amator & hortator, ut ad eam conſervandam, libertatem defendendam, inſtituta Patria ſervanda omnes mirifice & conſiliis & præceptis inflammaret. In Senatu ſi quid dicebat, tanta in verbis ſententiiſque elucebat erga communem hanc Patriam caritas, ut omnes mirum in modum accenderentur & ad amplectendum quod diceret, & ad probandum quod ſentiret. Atque quemadmodum Optimi Senatoris partes, ut Princeps Senatûs, diligenter obire ſtuduit, ita ut Antiſtes omnem curam, diligentiamque adhibuit, ut Sacris antiquus honos, cultuſque debitus religioni deferretur. Cumque innatam ſibi quandam haberet bonitatem, quæ illum ad quaſcunque optimas actiones propenſiſſimum reddebat, propterea in pauperes miſericors, afflictorum non minùs conſolator, quàm Patronus liberalis ac beneficus, Dei & Sanctorum ejus pientiſſimus venerator fuit. Quidquid verò à Sacris & forenſibus occupationibus ſuperfuerat illi temporis, id totum amicis, quos omnes in Rep: habuit, Deo, quem ardentiſſime amabat, ſtudiiſque literarum, quarum maximus & cultor & Fautor erat, impendebat. Cumq; in Rep: totum vitæ ſuæ curſum & agen-

do

do & confulendo comfumpfiffet, gravi ætate confectus ut fe in otium conferret, quafi ad tutiffimum fenectutis portum ad literas confugit. Quamvis autem Solonem, Catonem, Lucullum, aliofque clariffimos Viros fenectutem fuam ftudiis ita relaxare, ut Patriæ, amicorumque fuorum oblivifci quodammodo viderentur, memoriæ proditum accepimus; Princeps autem hic nofter ita moderatè in illis verfatus eft, ut licet nullam jucundiorem habuerit voluptatem in vita, quam libris impallefcere, confortioque & confvetudine doctorum Virorum frui, nunquàm tamen neque Patriæ, neque amicis privatô confiliô defuit. Sed hæc dū de tā ornatiffimo fpectatiffimoq; Principe prædico lætor vehementer JLLUSTRIS: PALATINE, quod apud Te dico, qui id cogitatione potiùs, quàm verbis æquari intelligis. Scis enim Tu ipfe quis & qualis is Princeps fuerit, cujus laudibus celebrandis neque par Oratio afsurgere, neque ita quidquam de illo, ut plus non defideretur, dici poteft. Quare venio jam ad clariffimos Imperatores tria Gentis Veftræ lumina FELICEM, ANDREAM & JOSEPHUM omnes Cracovienfes Caftellanos, Ducefque Regni noftri ftrenuiffimos, quorum egregia facta non modo Domui Veftræ, fed toti etiam Reip: plurimum lucis attulerunt.

Nam quis FELICE Staniflai Palatini Cracovienfis Filiô Avô Tuô, aut Sagô, aut Togâ, aut rerum ab eo geftarum magnitudine clarior exftitit? Jllum in bello fortiffimum Imperatorem, in confiliis graviffimum Senatorem femper Patria eft experta. Jlli victorias, quas cum Georgio Lubomirio ex Hungaris, cum Czarneccio ex Mofcis, cum JOANNE III. ad Chocimum ex Turcis, aliifque barbaris gentibus variis temporibus reportavit, in acceptis refert. Quamvis autem rebus à fe belli pacifque tempore præclarè geftis maximè clarus exftiterit, gloriam tamen hanc fuam majorem in modum auxit in lectiffimis Filiis fuis: MICHAELE Palatino Volhyniæ Patruo Tuo Tartarorum & Cofacorum Domitore validiffimo, & JOSEPHO Excubiarum Regni Præfecto Patre Tuo Clariffimo, qui tantâ prudentiâ, confiliô, erudi-

 tione

tione rerumque gerendarum notitiâ excelluit, ut ad Eum in maximis ſuis periculis, veluti ad quoddam tutiſſimum emporium, Reſpublica ſemper confugerit. Hinc cum Regnum hoc plurimis malevolorum miſceretur diſſenſionibus, armiſque diſcinderetur civilibus, ad componenda partium ſtudia, ſopiendamque belli flammam à Republica delectus, ita omnia feliciter, ſapienterque compoſuit, ut ejus operâ, ſtudiô, & diligentiâ pax & concordia in Regno refloruerint. Cæterum cum omnibus animi ornamentis apprimè inſtructus eſſet, maximamque Patriæ ſpem de ſe polliceretur, inopinata mors, quæ illum in ipſo ætatis flore è vivis ſuſtulit, quaſi filum quoddam omnium honorum & dignitatum, quæ eum in Republica manebant, præcidit. Hôc unicô ſolum felicior extitiſse viſus eſt, quod Te Filium reliquerit, in quo Paternarum ſuarum virtutum imaginem ita effinxit, ut dignus factus fueris, non modo omnes illos honorum titulos, quos ille promeruerat, poſſidere, ſed majores etiam alias præclariſſimis Tuis de Republica meritis obtinere dignitates. Jtaque ſi Sempronio Graccho quondam à Romanis, ut ex eorum hiſtoriiis cognovimus, tantum eo nomine tributum eſt, quod ex Cornelia Africano viro magno nata, duos Gracchos Titum & Tiberium, ſummos illis temporibus Oratores procreaſſet: certè hic Tuus multo eſt præſtantior, qui ex CETNEROWA nobiliſſima honeſtiſſimaque uxore ſua, non Gracchos duo portenta Romanæ Reipublicæ, ſed Te optimum hujus Reipublicæ Parentem generavit; ex quo tantum illi gloriæ & laudis accedit, ut, ſi nulla re ad poſteritatis memoriam nomen ſuum transmiſiſſet, hoc unicum ad immortalitatem aſſerendam ſatis illi ſit, quod Pater Tuus exſtiterit.

Jam vero de ANDREA FELICIS Avi Tui Fratre, quibus ille Rempublicam ornarit meritis, multa haberem, quæ in medium proferre poſſem, ſed cum non hiſtoriam ſcribere, ſed virtutes ſolum nonnullas factaque præcipua Clariſſimi hujus Jmperatoris percurrenda mihi propoſuerim, illud itaque nonniſi, quod ad illuſtrandum illius nomen plurimum gloriæ adfert, hoc loco commemorandum

ſtatu-

ſtatui: quod nimirum tanta is & authoritate, & exiſtimatione in Republica fuerit, ut eum JOANNES III. Rex noſter ad ſolvendam obſidione Turcarum Vindobonam profectus, omnium Ordinum conſenſu Pro-Regem conſtituerit, omnemque adminiſtrandæ Reipublicæ provinciam ad eum detulerit. Quod tam graviſſimum honeſtiſſimumque munus quâ diligentiâ is obierit, ſatis ſuperque ſapientiſſimus Rex ipſe declaravit, dum ex ſua expeditione redux Regnum hoc non modo pacatum, tranquillum, ab omnibusque turbis remotum, ſed ab hoſtibus etiam ipſis, qui Poloniæ fines crebris ſuis incurſionibus laceſſebant, armis illius repurgatum reperit, eumque in præmium laborum, meritorumque poſt Sieniavium paulo poſt vita functum Jmperatoria dignitate exornavit. Quo quidem judicii & benevolentiæ ſuæ teſtimonio, non modo Princeps Optimus ſingulare illius in Patriam ſtudium probavit, ſed etiam quantum Nomini POTOCCIANO honoris & obſervantiæ deferendum ſit, apertiſſime indicavit. Tanto Parenti non ab ſimilis Filius JOSEPHUS Jmperatorum è Gente POTOCCIANA Octavus ſupra decimum, (*k*) eam, quam à Magno Parente ſuo hauſit gloriam, non modo ad poſteros transmiſit, ſed etiam majoribus virtutis ſuæ illuſtravit monumentis. Nam præterquam, quod omnibus Senatore dignis inſtructus eſſet Virtutibus, ad res tamen bellicas ita à natura comparatus fuit, ut nemo illo aut in pugnando fortior, aut in agendo celerior viſus fuerit. Corpore quidem parvô fuit, ſed ita tamen à natura compactô, ut laborum omnium eſſet tolerantiſſimum. Hoc ille, quod à natura habuerat, ſic confirmârat, ſic exercitatione auxerat, ut unus eſſet, cui labor omnis voluptas eſſe videretur. Non illum hyemis, non æſtatis vis, non pluviarum, ventorum, niviumque injuriæ ab incæpto unquam retardârunt. Labores omnes non ſolum non ſubterfugiebat, ſed etiam ultro appetebat: hôcque ſuô pulcherimô exemplô ita omnium militum ad ſubeunda quævis pericula accendebat animos, ut nemo

(*k*) Mniſzech Mareſchalcus Curiæ Regni in ſermone Funebri habito Stanislaopoli Anno 1751.

in toto esset exercitu, qui cum Jmperatorem ipsum nulla in re sibi parcentem videret, non ultra vires etiam omnia toleraret. Hic, cum adhuc Palatinum Kioviæ ageret, plurimis suis velitationibus ita Cosacorum, aliorumque rebellium rusticorum attrivit turmas, ut publico Senatus decreto (*l*) pro hoc Reipublicæ integritatis salutisque civium conservandæ ardore & Sudio maximæ ei haberentur gratiæ. Cum Svecis quoque plurima commisit prælia, varioque Marte & fortunâ sæpius conflixit; illud tamen ex omnibus illius operibus bellicis singulare est, quod ad Cracoviam septingentorum nonnisi militum manu septus, ingentem Svecorum exercitum non modo fortiter sustinuerit, sed etiam ita represserit, ut ipsi hostes incredibilem ejus fortitudinem animique magnitudinem admirati, ad eum omnem victoriæ laudem detulerint, Jmperatoremque ævi sui incomparabilem pronunciaverint. Neque tamen bellicis solum artibus, pacis etiam Studiis clarus fuit. De Republica ita semper bene sensit, ut Civem optimum decuit, saluberrimis suis consiliis ita eam juvit, ut Senatorem oportuit. Nulla ejus aut major aut jucundior occupatio fuit, quam omnia sua Studia ad Reip. utilitatem conferre, de illa diu noctuque cogitare, & omnium animos voluntatesque ad id inclinare, quo Patriæ commodis provideretur, salus publica stabiliretur, & Leges Majorumque instituta majorem in modum observarentur. Literarum quoque Studiorumque in Republica amplificandorum quàm beneficus & amator & Fautor fuerit, Collegium nostrum Varsaviense Nobilium testatur, quod tantâ, quoad vixit, complexus est benevolentiâ, ut illud & Regi & Reipublicæ commendare nunquam destiterit, & insigni pecunia ad exornanda quotannis pro ludis scenicis theatra, in quibus ad detestanda vitia, moresque ad probitatis, honestatis, virtutisque regulas exigendos Nobilium Adolescentium informarentur ingenia, liberalissime impertierit.

Hæc

(*l*) Jawne świátu Polskiemu od wielkich Przodkow W. Jozefa ná Stanisławowie Potockiego Woiewody Kiowskiego, Starosty Halickiego zasługi &c. &c. *Konstytucya* 1703.

Hæc itaque omnia, quæ de his clarissimis Jmperatoribus brevi narratione percensere potui, quantùm splendoris Tibi, Familiæquæ Tuæ tribuant, satis à me hucusque si non pro dignitate Tua, at certe pro mediocritate ingenii mei demonstratum esse existimo. Jam vero de ANTONIO Bełzensi Palatino ob insignem eruditionem, eloquentiam, cæterasque præstantissimas tanti Senatoris virtutes, hac nostra ætate bene cũ paucis conferendo; STANISLAO PalatinoKioviæ magnæ probitatis & authoritatis in Republica Viro, EUSTACHIO Pincerna Regni, NICOLAO Kanioviensi, JOACHIMO Leopoliensi, JGNATIO Novosielscensi, MARIANO Grabovìensi, FELICE Krasnostaviensi, ANTONIO Błonscensi Præfectis, aliisque ornatissimis Familiæ Tuæ Viris, ex quibus nemo non egregius, nemo non in aliqua re magnus est repertus, multa profecto haberem, quæ in medium proferre possem; sed cum hæ communes omnibus, qui POTOCCIANO Sangvine censemini, sint laudes, consulto itaque eas prætereo, non quod multa & præclara de illis dici nõ possint, sed ne de illis ita dicere videar, ut in Te nihil jam esse putem, quod de Te dici jure possit: atq; ad has accedo, quæ Tuæ sũt, Tibique propriæ, qualisque non solum ex claritate Generis, sed etiam ex Tuis meritis animique ornamentis huic dignitati Senatoriæ accedat lux, jam indicare propero.

Atque dum de Tuis maximis erga Remp. hanc nostram meritis, quibus eam cumulatissime ornasti, dicere primum incipio, utinam mihi tanta affulgeat dicendi vis, quâ Tuas res præclare gestas copiosa Oratione complecti possim; tantus enim sese mihi dicendi aperitur campus, rerumque pulcherrimarum ubertas, ut in tanta laudum Tuarum segete quid primum, quid postremum mihi dicendum sit, plane ignorem. Audebo tamen & si dicendo non consequar, Tuorum me meritorum excusabit magnitudo, quæ tanta in Te est, ut omnem Eloquentiæ superet ubertatem.

Duo genera sunt, quibus de Rep. mereri possumus, alterum belli, pacis alterum. Quod vero præstantius sit altero, & Reip. utilius, certant inter se illi, qui de Rep. di-

ſputant, plurimique inter eos bellica Studia pacis otiô præferre non verentur. Ego vero multis rationibus adductus, graviſſimorumque virorum judiciô fretus, tantum abeſt, ut ea ſecum conferam, ut potius pacem bello ſemper anteponam, non modo quod pacis tempore refloreſcant omnia, quæ bellica ambuſſit flamma, ſed quod etiam ſtudia literarum, quod longe majus eſt, & leges vigeant, commercia, artesque omnes floreant, religio denique majorem in modum propagetur. Ipſi nos, qui in Polonia vivimus, & pace tam longa fruimur, quod quidem totum primùm Deo. Op. Maximo, deinde AUGUSTO III. Regi Clementiſſimo, qui nos ſecuros ab omni hoſtium metu vivere jubet, in acceptis referre debemus, intelligere facile poſſumus, quid belli paciſque fructus Regnis & Rebuſpublicis emolumenti adferant. Unde & urbanos (*m*) Magiſtratus tanto magis militaribus anteponendos eſſe judico, quod illi potius ad pacem, hi vero ad bellum miſcendamque armis Remp. ſemper propendeant, iſtique in tuendis imperii finibus, illi in regendis ſint occupati. Quamvis autem in utrisque magnam ineſſe oportere prudentiam, rerumque gerendarum notitiam exiſtimem, in Urbanis tamen requiri maximam contendo, non ſolum, quod parva ſint arma foris, Tulliô teſte, niſi ſit conſilium domi, ſed quod ambitu ſuo omnes illas quodammodo complectatur artes & dotes, quæ militaribus ineſſe cenſentur Magiſtratibus. Jſti enim dum Rempublicam gubernant, cum quo & ubi bellum gerendum, qui hoſtes à finibus arcendi, cum quibuſque ineunda fœdera ſint, decernunt, illi vero, quæ iſti juſſerint, exequuntur. Sed cum, plusquàm opus fuerit, ab inſtituto meo receſſerim, eo itaque unde abii, redeo, illudque certiſſime affirmo, tam in militari quam civili vita plurimas ineſſe vias ad benemerendum de Republica. Cæterum cum de re militari nihil

(*m*) Sed cum plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hæc opinio. Multi noſtri bella ſæpè quæſierunt propter gloriæ cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniiſque plerumque contingit, eoque magis, ſi ſint ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Verè ſi volumus judicare multæ res exſtiterunt urbanæ majores, clarioresque, quàm bellicæ. *Cicero de Officiis. lib:* 1.*cap:* 22.

nihil mihi sit agendum hoc loco, de iis itaque artibus, quibus de Patria merentur illi, qui in castris & armis vitam ducunt, nihil in præsentia dicam; de vita vero Civili cum plurimus mihi sit instituendus hic sermo, in hoc itaque argumento tota hac orationis parte dum morabor, ut uberiorem mihi ad dicendum de eo campum aperiam, in tribus potissimum rebus studium de Patria bene merendi in vita Civili & urbana situm esse statuo: in muneribus videlicet & Magistratibus bene gerendis, in consiliis sententiisque salutaribus Reipublicæ dicendis, & in omnibus occupationibus suis ad utilitatem ejus referendis. Dicam id brevius & clarius: bene gerere Magistratus, bene cosulere Patriæ, & omnia ad utilitatem ejus agere, hæ sunt viæ, quibus latissimus cuivis de Patria bene merendi proponitur campus. Quæ omnia, quoniam egregie ad instituta Reip. nostræ conformata esse videntur, quam mirifice ILLUSTRISSIME PALATINE es in Te complexus, jam animus est mihi indicare. Sed hæc dum de Te prædicabo, nolim ita de me opineris, ut Tibi quoque Martialem animum inesse dubitem, Teque etiam ad res bellicas gerendas accommodatissimum esse non existimem. Novi ego Tuam optimam indolem ad omnia summa comparatam, omnibusque præsidiis naturæ & artis liberalissime instructam, sed potius id à me conditioni temporum adscribi putes, quod scilicet in hæc incidisti tempora, quibus Regnum nostrum ab omni belli suspicione remotum svavissimo diffluit otio, ut bellicis etiam studiis Tuam illustrare non potueris virtutem.

Quare dum à Magistratibus muneribusque præclarè à Te gestis merita Tua in Remp: dictione mea percensere cupio, primô statim locô offert sese mihi illa celebris Tua ad ANNAM Imperatricem Moscoviæ Legatio, quâ ita prudentissimè & diligentissime es perfunctus, ut ex ea non modo Respublica plurimum emolumenti cæperit, sed etiam & Tu ipse maximum gloriæ fructum retuleris. Cum enim Legationis munus non modo in hac nostra Rep: sed in omnibus quoque Gentibus & Regnis honestissimum semper atque amplissimum habitum sit, huic

itaque tam præclaro muneri gerendo nullus unquam præficitur, nisi qui idem sit honestissimus & clarissimus. Nam qui Legatus mittitur, is non jam particulam Reip: sed totam ipsam Remp: suis prope humeris sustinere, Regis Majestatem, Senatûs authoritatem & gravitatem ac universæ Reip: faciem secum ferre videtur, ut id munus incredibili quadam & gravitate & virtute egeat, & eloquentia, & assiduitate. Tu itaque JLLUSTRIS: PALATINE ita Te in hoc gravissimo munere gessisti, ut in tractanda Reip: causa, & in exequendis Regis, totiusque Senatûs mandatis, nemo unquam aut diligentiam, aut industriam, aut facultatem dicendi desideraverit. Splendorem quoque ac magnificentiam comitatûs Tui, in qua maxima Reip: hujus dignitas est posita, ita omnes sunt admirati, ut ex Te uno divitiæ & opes quales in Polonia essent, facilem conjecturam facere potuerint. Hinc cum ANNA Imperatrix illa Moscoviæ Tuam incredibilem in agendis prudentiam, consilium, industriam, gravitatem, animi magnitudinem, cæterasque ingenii Tui dotes, quæ se in ore & vultu Tuo explicabant, advertisset, tanto Te amore est complexa, ut, dici nequit, quantum illa tibi honoris & observantiæ detulerit. Nam non modo in omnibus Imperii sui negotiis familiariter Te est usa, sed quod mirum est, toto hoc tempore, quo in Aula ipsius versatus es, tantum Tuo ingenio & prudentiæ tribuere visa est, ut nihil sine Te aggredi, nihil sine Tuis consiliis moliri quidquam voluerit. Ex quo quantam Patriæ imprimis, quod talibus sit referta viris, ut etiam illos apud quos perhospitantur, eorum consiliis uti non pudeat, & Tibimetipsi comparaveris gloriam, nihil dico. Testis est ipsa Moscovia, quæ Te apud IMPERATRICEM suam tantis in deliciis fuisse vidit, ut non plus Cleopatra Antonium, Artemisia Mausolum, quàm illa Te amare crederetur, Tuamque humanitatem, gravitatem, summam vultus ac sermonis comitatem, prudentiam, ac ingenium summis hodiedum celebrat ac extollit laudibus. Testes quoque sunt illæ dignitates, quas ex hac Legatione redux, quasi totidem testimonia Tuæ optimè navatæ Reip: operæ in Polonia

retuli-

retulisti, de quibus, quam gloriose eas geras, non est mihi opus multa dicere, ipsæ enim per se loquuntur, quam diligenter eas administres. Tibi Præfectura BEŁZENSIS restitutam in Foro Justitiam, fortunas inopum à potentioribus vindicatas, Civitatem pristino splendori redditam, Nobilitatemque in suo honore conservatam in acceptis refert. Quam vero INCISORIS Regni munere cohonestatus præclare illud gesseris, omnium de Te testantur voces, ut Tuam in eo fidem, vigilantiam, & industriam Respublica nunquam desideraverit. Sed mihi jam longe copiosius de Tuis dicendi laudibus sese offert argumentum in Mareschalci munere, quô cùm in Tribunalibus Regni Petricoviæ & Lublini, tum in Juridico causarum Militarium Radomiæ Conventu es functus. Si quæ enim ad Virorum illustrium commendationem afferri potest major laus, certe illa est maxima, quæ à Justitia petitur. Justitia enim cæterarum omnium virtutum quasi quædam parens & altrix est, sine qua neque quisquam aut temperans, aut fortis, aut prudens fieri potest. Hæc est societatis humanæ vinculum, pietatis ara, innocentiæ propugnaculum, honestatis præsidium, quæ homines in Cælo collocat, ac Diis ipsis, ut Tullius inquit, simillimos reddit. Quid enim est aliud Judicem agere? nisi vitæ, salutis, fortunarumque Civium arbitrum esse, à cujus potestate dignitas, fama, existimatio, & omnis felicitas populorum vel infelicitas pendet. Quare siquod beneficium Reip: præstari potest, illud profecto est unicum, si illi, qui Judicia publica exercent, ita Justitiam administrant, ut neque tenuiores propter imbecillitatem circumveniri, neque potentiores invidiâ opprimi, neque vitia cum virtute certare, neque honestatem cum turpitudine commaculari patiantur. Quodsi quod omnibus numeris absoluti Judicis exemplum in Rep: nostra unquam visum fuit, certe Tu JLLUSTRIS: PALATINE unicus in ea repertus es, qui ita omnes Optimi Judicis obijsti partes, ut id ante Te fecerit nemo. Nam cum duo omnino sint, quæ Justitiam magnopere impedire soleant odium atque amor, quorum primum ad vindictam, alterum ad benevolenti-

am sitpronum, qui itaque odio inducti nihil injusti egerint, perpauci admodum, qui amore, reperti sunt pauciores. Tu vero, quamvis ego Te amicorum amantiorem neminem novi, qui suos ita dilexerit, & eousque amore proveheretur, ut nulli rei, nulli labori, ut illis obsequeretur, parceret, ita intra Justitiæ fines semper permansisti, ut neque amicorum neque inimicorum, quamvis illos nunquam habueris, sed æquitatis & Justitiæ rationem semper haberes. Quis porro exstitit, qui Tuam in hoc munere obeundo diligentiam & sedulitatem quandam incredibilem non sit admiratus? Te Mareschalco Auditoria summo mane aperiebantur; Tu summô mane curiam ingressus accuratissime & diutissime querelas omnes audiebas, lites componebas, stipendia emeritis militibus adnumerabas, omnesque causas tanta prudentia, industriâ, & moderatione animi solvebas, ut nec reo, nec actori fieret injuria. O! præclaram Tuam bene de Republica merendi voluntatem, quâ ita ad labores pro utilitate Patriæ tolerandos, ad justitiam bene administrandam, ad honestatem, fidem, diligentiam in Magistratibus gerendis quærendam accendis, ut nemo esse possit, qui Tuis vestigiis pulcherrimisque exemplis insistere non cupiat. Sed jam alterum meriti Tui de Rep: genus, quod est in consiliis sententiisque Reip: salutaribus dicendis, videamus. Nullum siquidem majus ac præstantius Reip: beneficium præstamus, quam si ei, ut ait illud gravissimum Romani Senatûs lumen Cicero, bene semper ac recte consulimus.

Cum duo præcipui in Polonia nostra Ordines sint, Optimatū & Nobilitatis, quorū alter authoritatis, libertatis alter tenacissimus, hicq; variis conversionib⁹, ille vero multis factionibus sit obnoxius, inde fit, ut in tanta ingeniorū varietate studia partiū crescant, opiniones plurimorū in diversa distrahantur, & omnia Consilia irrito eventu, magnoque Reip: cum dispendio dilabantur. Diffidentes itaque ad concordiam unionemque animorum revocare, lites, & jurgia componere, omnesque eloquentiæ nervos in id intendere, ut saluberrimis consiliis Reip: prospiciatur, Leges,

majo-

majorumque Inſtituta ſerventur, auctoritas Senatûs, Nobilitatiſque libertas intra ſuos fines contineatur & publica utilitas nullum detrimentum patiatur, hoc certe eſt apertiſſimum argumentum Civis Patriæ ſuæ amantiſſimi, Virique prudentiæ & Conſilii pleniſſimi. Ad quas quidem res perficiendas Tu JLLUSTRIS: PALATINE non humano ſed Divino quodam, & à natura ipſa informatô ingeniô præſtitiſſe mihi videris. Etenim in omnibus publicis ac privatis Regni noſtri conſultationibus, nihil unquam niſi Reip: incolumitatem & dignitatem ſpectaſti, neque partem aliquam ejus,ſed ut Sapientes Medici ſolent, totum Corpus curare conſveviſti. Si frequentiſſimæ in Comitiis Nobilitati de maximis rebus conſilium dandum fuit, præclare & egregiè ſenſiſti, ſi de Rep: ſententia Tibi dicenda, audacter & fortiter dixiſti, ſi lex ſvadenda, vel diſsvadenda erat,ſumma contentione ſemper egiſti. Cumque multa præterita meminiſſes, præſentia omnia accuratiſſime perpenderes, & rerum inter ſe nexum ac conſequentiam quaſi quandam diligentiſſimè conſiderares, nemo Te aut futura acrius conjectari, aut conjecturâ minus falli ſemper eſt viſus. Eâ vero verborum gravitate, ea Orationis dignitate utebaris, ut, quamvis id nullis illecebris nulloque artificio aucupareris, nemo tamen vehementius in quam vellet partem, audientium animos impelleret, in nulliuſque ſententiam frequentiora Senatûs Conſulta fierent. Atque quemadmodum Athenis Demoſthenis dicendi vim fulmenque Orationis nihil quidquam magis infringere potuit, quam gravitas Phocionis, ita ad reducendos male de Republica ſentientium animos, compeſcendosq; in Conſiliis Judiciiſque litigantium clamores, & importunas obſtrepentium rabularum voces, tantùm Tua ſemper valuit authoritas, ut id, quod Tu velles, omnes cuperent,quod Tu ſvaderes, omnes deſiderarent, quod Tu faceres, omnes ambabus, ut ajunt, ulnis complecti viderentur. Quod quidem eo faciliùs conſequebaris, quod egregius Tuus quidam in Remp: amor, ſemper omnibus eſſet perſpectiſſimus. Sciebant enim omnes Te nulla privata re, nullis Tuis unquam moveri commodis, non

amicitiis perverti, aut inimicitiis perturbari, nihil in gratiam cujusquam loqui, nihil dies noctesque cogitare, quàm quemadmodum Reip: prodesse posses, nihil dicere, quod non Reipublicæ utile videretur. Hinc tanta ubique veneratione & existimatione pollebas, ut in Te omnes & amorem hunc Reip: incredibilem, studiumque in prospiciendis illius utilitatibus ardentissimum, & de Tua in conficiendo celeritate, in agendo industria, in providendo consilio plurimum confisi, gravissima Tibi sæpenumero Reip: negotia committere, maximaque ad Te deferre munia non vererentur. Cumque omnes Poloniæ Provinciæ de Te quodammodo inter se certarent, omnesque Te ad sua pertractanda negotia publicosque Magistratus gerendos pertrahere conarentur, evicit tandem Nobilitas Belzensis, dum Te Oratorem perpetuum ad Comitia, Judicemque ad Tribunalia Regni, quoties id velles, eligendum publico & unanimi omnium sanxit decretô. Qui quidem honos, quemadmodum ante Te habitus est nemini, ita etiam apertissime declarat, Te esse summo Consilio, gravitate, industria, & in quærenda Reip: salute diligentia, studio, & amore incomparabili. Quare jam mihi de tertio merendi de Rep: genere in præsentia est dicendum. Nam si magnum Reipublicæ beneficium præstamus, si Magistratus bene gerimus, majus si ei recte consulimus, profecto istud est maximum, si ita ei studemus, ut omnes curas occupationesque nostras ad utilitatem ejus referamus. Quo quidem in genere adeo Tu JLLUSTRIS: PALATINE es admirabilis, ut Te in eo si non omnibus præferendum, saltem cum paucis conferendum esse putem.

Multi enim consilio, opibus, & eloquentia valuêre, sed illis aut nihil Reip: profuerunt, aut in ejus perniciem abusi sunt. Alii quoque fuêre, qui publicè bene & præclarè de Republica senserunt, privatim vero turbis & factionibus eam miscuerunt, atque, quemadmodum de Cicerone verene an falso traditur, aliud stando aliud sedendo de Rep: cogitaverunt. Qui autem privatim & publicè, domi & foris, integritate, industriâ, consilio, ingenio, præstiterint, amoreque conservandi Reipubiicæ splendoris

doris flagraverint, pauci admodum fuêre, qui in hac nostra Rep: versati sunt: adeo ut Tu JLLUSTRIS: PALATINE, unicus hâc nostrâ ætate inventus sis, qui omnem Tuam operam utilitati Reipublicæ impendis, qui eo omnes Tuas curas cogitationesque confers,quô illi prodesse, de eaque mereri possis. Nulla enim Comitia, nulla Senatûs Consulta, aut Judicia unquam peracta sunt, quibus Tu non interesses, & quid de Republica sentires, non diceres. Te neque viarum incommoda, neque aëris, tempestatumque injuriæ, neque valetudinis etiam propriæ, quâ nihil carius jucundiusque homini in vita constituto esse debet, ratio, ab hac unquam dimovere poterant sententia, quin illis adesses consultationibus, in quibus de Reipublicæ utilitatibus, de fortuna & salute civium ageretur; memorque illius, quantum Patriæ deberetur, vitâ etiam ipsâ cariorem eam habebas. Tu privatim & publicè semper in id intentus esse observabaris, ne aut Respublica detrimenti aliquid caperet, aut Regis Majestas, Senatûsque authoritas imminueretur, aut Nobilitas de libertate sua periculum faceret. Quod quidem ardentissimum Tuum in Patriam studium maximè tunc probasse mihi videtur Sapientissimus Rex noster AUGUSTUS III., quando Te Insigni Equitum Albæ Aquilæ condecoravit: quantum enim Tibi in Fide tuenda, Rege & Legibus defendendis deferret, hôc eximiô judicii sui de Te testimoniô cumulatissime declaravit. Cum nullo Tibi siquidem majores unquam inimicitiæ fuerunt, quàm cum illis, qui aliquid aut contra Rempublicam moliri, aut Leges Patrias & instituta majorum infringere & convellere audebant. Hos tamen ut ad meliorem frugem reduceres, amoremque Reipublicæ & observantiam Legum instillares, nullum non movebas lapidem, sed quà minis, quà precibus, muneribus etiam & promissis svaviter & humaniter inducebas, ut id, quod rectum, honestum, & Patriæ utile foret, sentirent, & facerent. Atque quod alii ad libidinem & luxum, ostentationemque opum suarum facere consveverunt, Tu si quando mensas auro argentoque graves instruebas, aut convivia splendore & magnificentia plane

tegia apparabas, non alium in finem id facere semper videbaris, nisi ut hac ratione animos omnium, benevolentiamque Nobilitatis Tibi conciliares, ut inter pocula & mensas majorem de Patriæ utilitatibus dicendi copiam haberes, rerumque pulcherrimarum narratione, & dictorum à Te quasi satietate quadam inescatos, ad agendum & consulendum id Patriæ, quod ei utile esset & pernecessarium, induceres. Faciebas sanè id, quod de Cyro Persarum Rege accepimus, qui Persarum animos svavitate Ciborum & dulcedine epularum conditos à servitute Medorum revocavit, & ad quærendam armis libertatem pellexit; atque ut tanto magis omnium in Te voluntates delinires, nullis unquam in conviviis parcebas sumptibus, quin id, quod desiderares, efficeres, & in id, quod utile Patriæ rebaris, omnium sententias inclinares. Sed neque domi solum, foris etiam utilitatem Reipublicæ quærebas. Cum Regibus & Imperatoribus amicitias inibas, ut tanto magis pacem Reipublicæ firmares, & eam ab omni hostium metu securam redderes. Qui quidem quo Te in honore habeant, nuper vidimus, cum Legatus Turcarum ad potentissimum Regem nostrum missus ex Legatione redux Te adiisset, Teque de amore & benevolentia Imperatoris erga Te sui certiorem fecisset. Quæ profectò omnia tam præclara & magnifica amoris studiique Tui erga communem hanc Patriam nostram sunt testimonia, ut nemo tam iniquus rerum æstimator sit, qui Tibi optime meriti de Patria Civis honorem non deferat, Teque inter præstantissimos, clarissimosque Reipublicæ hujus Viros non reponat.

Quantum itaque splendoris dignitati huic Senatoriæ meritis Tuis in bene gestis Magistratibus, in bene Patriæ consulendo, & omnia ad utilitatem ejus referendo attulisti, si non copiosè, at certè sufficienter satis hucusque ostendi; nunc ex pulcherrimis animi Tui ornamentis, de quibus ultimo loco dicendũ mihi proposui, quantũ ei accedat lucis, jam aliquid mihi differendũ esse judico. In quibus celebrandis is ero, qui potero, Tu, si minus satisfecero, ignoscere, atq; ita existimare debebis, mihi in hac amplissima ad dicendum proposita materia non voluntatem, sed facultatem defuisse.

Quod

Quod quidem laudationis Tuæ argumentum dum aggredior, lætari & exultare quodammodo ſibi videtur oratio mea, quod jam ſcilicet ad eam pervenerit partem, ex qua ſplendidiſſimum rebus à me hucuſque pertractatis affulget lumen, & lux quædam oboritur. De virtutibus namque Tuis ILLUSTRISSIME PALATINE jam dicere incipio, quas antequam Senator fueras, omnes tamen Senatorias in Te habebas. Tria (*n*) enim in Senatore requiruntur: ſcientia, diligentia, & memoria. Ad ſcientiam ego quidem, quæ in in quovis Senatore Reip. noſtræ ſumma eſſe debet, præter multarum diſciplinarum notitiam, artem ſeu facultatem Oratoriam, ut perſvadere poſſit, primô locô pertinere puto; ad diligentiam aſſiduitatem quandam & ſedulitatem in agendo;ad memoriam denique ea omnia revoco,quæ Senatori in promptu ſemper eſſe debent: ut nimirum non modo Leges, conſvetudines Patrias, & inſtituta Majorum memoriâ retineat, ſed ut etiam exterarum Gentium mores, hiſtoriam, viciſſitudineſque Regnorum apprime noſcat, quorum exemplis abunde inſtructus, quid Patriæ ſvadendum quid diſſvadendum ſit, probe ſciat. Hæc omnia Senatorum ornamenta, quam mirifice ſis in Te complexus, ſemperque ea in Te habueris, ubi reliquo orationis meæ curſu indicabo, tute ILLUSTRISSIME PALATINE, ſi per modeſtiam Tibi licebit, fateri debebis, Te omnia dignitatis Senatoriæ decora Tecum adferre, non illamque Tibi, ſed Te illi ſplendorem tribuere.

Nam præterquam, quod Latinis literis ſis optime inſtructus, & omnibus artium liberalium ſtudiis apprime excultus, lingvarum etiam exterarum tantâ es peritiâ, ut in venuſtate verborum elegantiaque dicendi cum nativa jure optimo contendere poſſis. Quæ quidem induſtria Tua liberalis profecto & ingenua non modo Te literarum

(*n*) Eſt Senatori neceſſarium noſſe Remp. idque late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reip. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, quâ quiſque ſit in Lege, conditione, fœdere, tenere conſvetudinem decernendi, noſſe exempla majorum. Videtis jam genus hoc omne ſcientiæ, diligentiæ, memoriæ eſſe, ſine quo paratus eſſe Senator nullo pacto poteſt. *Cicero de Legibus lib:* 3.

ac eruditionis amantiſſimum, ſed etiam Reipublicæ ſtudioſiſſimum apertiſſime declarat. Nunquam enim melius de Rep. mereri poſſumus, quàm ſi ejus dignitatem variarum rerum notitia excolamus & ornemus, noſque natos non in vervecum patria & craſſo ſub aere, ſed in ſolo mitiſſimo, ſvaviſſimo, & ad omnem humanitatem & literas à natura propenſiſſimo declaremus. Huc accedit, quod homini illuſtri loco nato, & ad gerendos in Rep. Magiſtratus comparato, nihil honorificentius utiliusque ſit, quam multarum lingvarum præſtare peritiâ; cùm ut ex variorum librorum lectione, ea hauriat, quæ ei ad vitam Civilem in Rep. agendam ſint perneceſſaria, tum ut cum Legatis exterarum Gentium, ſi qui erunt, conferat, & ne dolo aut fraude quid agatur, ex ſervorum aulicorumque verbis & ſermone intelligat. Jam vero ut ad eloquentiam veniam, quæ in noſtra Rep. in foro, in Comitiis, in Senatu, omnibusque Magiſtratibus maxime dominatur, ea tam vaſta, tamque ampla in Te eſt, ut ob ſummum ingenii Tui flumen dicendique ubertatem, Athenas & ipſam Romam Tecum inPoloniam quodammodo cõmigraſſe arbitremur. Habes enim eloquentiam, non illam quidem præpoſteram, circumforaneam, & elumbem; non illam, qua in foro utuntur dicaciſſimi illi rabularum & leguleiorum greges, acrem, acerbã, iracundã, contentionis, ardoris, inimicitiarum, laterum laborum plenam, ſed illam pacatam, ſedatam, gravem, hilarem etiam interdum, & cũ dulcẽ, tum reſperſam ſalibus, ſimplicem ſemper & ſucci plenam, non minio & cincinnis comptam, verborumque pigmentis ad oſtentationem coloratam, mundam vero & ipsâ quaſi negligentiâ gratiorem, quamque vere Regiam ac Senatoriam poſſim dicere. Itaque ſive quidquam pro Concione dicis, ſive in Comitiis Judiciiſque ad Nobilitatem verba facis, tantus ſtatim exuberare videtur dicendi fons, ut prope unus omnium Oratorum omnem vim, omnes illecebras, omneſque, ut ita dicam, veneres exhauſiſſe videaris; tanta, inquam, ſe effundit eloquentiæ Tuæ ubertas, ut neque ad fidem, neque ad gravitatem Orationi Tuæ quidquam deeſſe aut deſiderari poſſit. Quæ quidem Tua

hæc

hæc tam præclara atque Senatoria ſane eloquentia eo etiã in Te eſt admirabilior, quod ſi quãdo, ut in ſtatu populari fit, ad ſubitas aliorum invectivas, actioneſque inopinatas reſpondendum Tibi erat, ea Tu talia pro re nata atque tẽpore in medium afferebas, qualia, ſi optimi atque clariſſimi Oratores diu culta elaborataque adduxiſſent, nunquam fuiſſent meliora. Quæ vero Tecum ipſe ante commentabaris, & magna aliqua in re atque cauſa ad dicendum accedebas, ea ſic tractabas, ut cum omnibus artis præceptis inſtitutiſque utereris, nullum diſciplinæ aut Scholæ, nullũ induſtriæ veſtigium appareret; adeo ut ea, quæ ipſe cogitares, ſentires, in aliorum mentes atque animos ita tranſferres, ut impreſſa non tradita, innata non inſita, propria non aliena viderentur. Sed hæc de eloquẽtia ſatis; de diligentia jam in agendis, quæ eſt altera Senatoris dos & virtus, qualis nempe in Te ſemper illa fuerit, pauca dicam.

Si quid eſt, quo Regna & Reſpublicæ bene quantumvis ordinatæ labefactari, & ad perniciem vergere conſueverunt, illud profecto eſt negligentia Magiſtratuum, & ſegnis bene adminiſtrandæ Reip. cura. Hoc profecto fuit, quod florentiſſimum aliàs totâque Africâ clariſſimum Carthaginenſium Regnum, quod cum Roma ipſa de principatu multis annis armis contendere non eſt veritum, evertit, & omnem ejus ſplendorem bellicis inſepelivit cineribus. Dum enim omnes illius cives, non tam de Rep. defendenda, quam de mercatura pertractanda, corrogandiſque ex commerciis opibus cogitarent, Romani nimio plus Carthaginis delendæ ſoloque æquandæ deſiderio intenti, ubi copiam nacti ſunt, funeſtis affectam cladibus, plurimiſque attritam bellis, ita à priſtino deturbarunt ſplendore, ut deinde miſere cõciderit, & in poteſtatẽ Romanorũ redacta fuerit, Ipſum denique Romanum Imperium, dum in Magiſtratibus pro libidine & ingenio ſuo quiſque ageret, primùm armis civilibus divexatum, pòſt negligentiâ & deſidiâ Imperatorum à Barbaris occupatum, interque crudeliſſimos Reges diſcerptum, ita ad incitas redactum fuit, ut ne veſtigium illius Imperii totô orbe celebratiſſimi apparuerit. Quare ad conſervandas, & ab interitu

vindicandas Respublicas nullum aliud majus præstantiusque me hercule reperiri potest remedium, quàm si ii, qui Magistratibus præfecti sunt, diligenter eos administrent, in omnemque partem intentos oculos habeant. Quæ quidem diligentia magna in omnibus Magistratibus, in Senatoribus tamen summa requiritur, tum quod illi propter authoritatem Ordinis sui principem locum in Rep. obtineant; tum quod salus Reip. in consiliis eorum sita sit. Quare gratulari sibi quodammodo debet Respublica nostra, quod Te illum nacta sit Senatorem, quô in obeundis Magistratibus nemo diligentior unquam est repertus. Nam ne repetam illa, quæ de Te superius jam dixi, quis tantâ diligentiâ, labore, assiduitate, & industriâ Magistratus gessit, ut oblitus plane sui, commodorumque suorum, totum se illis impenderet? Quis eo in Remp. ferebatur amore, ut propriis occupationibus posthabitis, omnem curam cogitationemque suam eo conferret, quo illi prodesse posset? Tu, tu solus es ILLUSTRISSIME PALATINE, qui neque laboribus ullis pepercisti, neque somno indulsisti, neque difficultates omnes unquam abhorruisti, quin Tuo bene fungereris munere, eaque ratione, qua posses, Reipublicæ utilitatem adferres. Legationes Tuæ, quibus cùm ad Moscoviam, tum ad omnes Reip. Ordines sæpius functus es, Magistratus Tui, quos variis temporibus præclarè gessisti, apertissime declarant, & quasi totidem dictorum à me sunt testes, Te esse tantâ in rebus agendis diligentiâ, ut ad Tuam prudentiam, vigilantiam, industriam, laborem nihil quidquam desiderari possit. Ex his itaque alisque amplissimis de Te testimoniis, quâ diligentiâ & sedulitate dignitatem Senatoriam sis gesturus, nemo est, qui dubitet.

Jam vero de his dicturus, quæ ad memoriā tertiā Senatorum dotem revocantur, quanta Deus bone de Te mihi dicendi sese offert ubertas! Nam ut ab Historia vita memoriæ, & magistra vitæ, ut inquit Tullius, incipiam, quis tam præstanti tamque divinô ingeniô fuit, ut res ab orbe condito gestas tanta tenacitate memoriæ complecteretur, & inter tot tantasque curas, sollicitudines, occupationesque

que Reip. tam accuratè memoriâ retineret? Tu autem quidquid unquam gestum à quoquam est, quidquid perpetratum, quidquid literis mandatum Græcis vel Latinis, sive ex Hebræorum Historia, illa quidem perantiqua perqueveteri, sive ex historiis, quarum res gestæ post fuerunt, sive denique ex recenti atque nova, ea omnia non solum diligentissime legisti, & accuratissime didicisti, sed etiam semel lecta vel audita ita semper ante oculos habes, & quasi insculpta in animo Tuo retines, ut nihil Tibi unquam eorum excidat. Nullæ Gentium commotiones, nullæ exercituum comparationes, nullæ classes, nullum bellum aut pugna, nullum egregium facinus aut dictum paulo excellens in literarum monumentis reperitur, quod vastissimæ memoriæ Tuæ septô non contineatur. Mira quidem, & fidem ipsam excedentia de Te dico, sed ea silentiô præterire, quæ verissima sunt, nefas esse judico. Hoc enim memoriæ Tuæ singulare est beneficiũ, ut ea omnia, quæ legeris, aut semel audiveris, quasi iisdem verbis in illam transcriberentur, ita ordine, situque suo permanent, ut nullô temporis spatiô aut longinquitate deleantur. Jtaque ut rem totam paucis concludam, omnes actiones, omnia tempora, omnia clarorum virorum illustriumque fæminarum nomina, quacunque demum in re excelluissent, ita Tuæ inhærent memoriæ, ut Teipsum vel omnes omnium Gentium Annales conscripsisse, vel omnibus sæculis vixisse fateri sit necesse. Et quoniam propter summum rerum usum & utilitatem quasi affinitate quâdam cum Historia illa connectatur scientia, quam Vossius ocellum Historiæ vocat, illa vero bonarum artium Studiorumque omniũ inventrix & magistra Græcia Geographiã appellavit, Tu illâ ita es imbutus, ut neq; Regionũ ac locorum situs, nec urbium, insularum, fluminum, non ipsorum fontium nomina, quo victu quæque regio, quibus moribus, quibus artibus utatur, & excellat, quisquam Te accuratius aut scire aut explicare possit. Quid vero Divinas humanasque leges commemorem? quid patrias consvetudines? quid Jura Gentium? quid varias hominum naturas? quæ omnia ita Tu ILLUSTRISSIME PALA-

TINE memoriâ complexus es, ut Tibi ad illam perfectissimam artium omnium rerumque cognitionem nihil quidquam deesse videatur.

Et quoniam de Senatoriis dixi, reliquum est, ut & de cæteris præstantissimis Tuis,quæ inTe mirifice resplendent, virtutibus aliquid dicã; quibus recensendis dũ aliquantulum immorabor,etiã atq; etiã àTe peto, ne me plus Oratoriè & laudatoriè, quàm verè de Te dicere, & plus eorum, quæ de Te prædicabo, Tibi Oratione tribuere, quàm in Te revera esse arbitreris. Omnia, crede mihi, in Te summa sunt, atque tam excelsa, ut plura à me prætermitti, ne in immensũ crescere videatur Oratio,quàm narrari debeât.

Itaque si mores vitamque Tuam ad Senatoriam hanc dignitatem conferre & conformare voluerimus, neminem profecto reperiemus, qui ad eam propius accedere videatur. Alii enim sunt humanitatis & officiorum plenissimi, sed pietatis in Deum expertes, & voluptatibus vitiisque dediti; alii fortassis sunt prudentes sed iniqui, alii frugi sed superbi, alii clementes sed avari, alii liberales sed crudeles, alii denique pii sunt in Patriam & Parentes, sed amicis injustos & iniquos sese exhibent; verbô: nemo pene unquam talis est repertus, qui non aliqua vitiorum labe, virtutes eas, quibus eminebat, obscuraret. Tu vero ILLUSTRISSIME PALATINE omnes virtutes non solum Senatore sed libero etiam homine dignas ita in Te copulasti, ut in illis inusitatus quidam concentus, & mira inter se consensio appareat. Nihil enim in Te humanitas & benevolentia singularis erga omnes pietati in Deum officit, nihil comitas severitati, gravitati bonitas, clementiæ justitia detrahit, sed summus in iis rerum omnium modus moderatioque conspicitur. Quid vero beneficentiam Tuam, affabilitatem, urbanitatem, justitiam, fidem, omnesque eas virtutes, quæ ad humanitatẽ & facilitatẽ morẽ pertinẽt,cõmemorẽ? jam pridẽ hoc illis consecutus es, ut Te omnes non aliter ac communem Patriæ parentem suspiciant, venerentur, ament, & observent. Sive enim in publicis sive privatis negotiis quisquam Te adit, cum Tu tanta hilaritate & amænitate vul-

tûs

tûs ſuſcipis, tanta lenitate ſermonis & ſvavitate alloqueris, ut in Tuo ore non jam illæ fabuloſæ Poetarum Charites, ſed veriſſimæ omnes Gratiæ conſidere videantur. Nemo à Tuo conſpectu & colloquio unquam excluditur, omnium poſtulata libenter cognoſcis, nihil juſta petentibus denegas, ſed omnes votorum compotes pacatoſque à Te dimittis. Liberalitatem autem Tuam, quâ multorum inopiam ſublevare ſtudes, quæque maxima in Te eſt virtus & cum paucis conferenda, non eſt opus cur multis hic commendem: tot enim Baſilicæ à fundamentis excitatæ, tot Aræ Divorum nominibus conſecratæ, tot Noſocomia ad alendos pauperes à Te exſtructa manifeſtè declarant, Te eſſe ad teſtanda omnia pietatis officia à natura propenſiſſimum. Teſtatur hoc & Collegium noſtrum *Varenzenſe*, quod ſimul ac in Tuam clientelam & patrocinium ſuſcepiſti, tantos, tamque uberes Tuorũ in ſe meritorum experitur fructus, ut pro maximis benevolentiæ Tuæ ſibi exhibitis teſtimoniis ſemper gratam Tui memoriam gerat, eamque ſibi de Te polliceatur fortunam, qualis de tam liberaliſſimo, munificentiſſimo, & ad omnem beneficentiam & humanitatem à natura inſtructo ſperari debet Senatore.

Ex his itaque, aliiſque præclaris animi Tui ornamentis, quæ, dies me deficeret, ſi ſingula Oratione percenſere cuperem, quis jam non videt, quem ſplendorem dignitati huic quam Tibi in præſentia gratulamur, tribuas? O! Virum ætatis noſtræ decus, & clariſſimum ſæculi noſtri lumen, cui tanta & naturæ, & ingenii, & fortunæ data ſunt ornamenta, ut illorum ſplendidiſſima luce non modo Clariſſimæ Gentis Tuæ POTOCCIANÆ, ſed totius etiam Patriæ illuſtrares nomen! Quod tantum ingenii flumen, quæ tanta facultas, dicendique vis eſſe poteſt, ut Tua pulcherrima facta præſtantiſſimasq; animi dotes Oratione complecti valeat? Omnia in Te tam ſumma, tam excelſa, tam ſublimia, ac magnifica ſunt, ut nemo jam profecto eſſe poſſit, qui Te claritate Generis Tui, magnitudine meritorum, innumeriſque animi Tui ornamentis Senatoriæ huic dignitati ſplendorem attuliſſe dubitet.

Quare cum tantis animi & fortunæ inſtructus decoribus Palatinos capeſſas faſces, quî fieri nunc poteſt, ut, illos fructus, illaque emolumenta Reipublicæ proſpiciendo, quæ ſibi omnes boni ex hoc Tuo præclaro Magiſtratu non divinantur jam ſed certo pollicentur, ab inuſitata temperemus lætitia? deque amplificatione honoris Tui vehementer non gaudeamus? Quis, inquam, erit, qui ſe in hujus lætitiæ ſocietatem offerens, tantumque bonorum omnium conſenſum ex hac dignitate Tua Reipublicæ afferri videns, Te lingvis omnium non celebret, maximisq; laudibus non ornet? O! Te felicem, & terque quaterque beatum JLLUSTRISSIME PALATINE, qui in hæc incidiſti tempora, ut tantam totius Patriæ lætitiam, non animo ſolùm perſentiſceres, ſed oculis etiam ipſis uſurpares! O! diem lingvis omnium prædicandum, libris, monumentiſque ad poſteritatis memoriam celebrandum, quô Senatoriâ inſignitus Purpurâ in his affulſiſti terris, & omnes ad lætandum de hoc Tuo præclaro excitaſti honore. Erit, erit hoc profectò non exiguum gloriæ Tuæ monumentum, quod antiquitas non vidit, poſteritas mirabitur, Te unum exſtitiſse, de cujus amplificatione honoris non una Civitas, nō una Provincia, ſed univerſa gaviſa eſt Reſpublica. Percurre enī ſi potes animo totā, qua late patet, Poloniā, & omniū ſenſa volūtateſq; explorando, quid de Tua dignitate ſentiant, ipſe diligenter adverte. Videbis proculdubio tantā omniū Ordinū, conſentientisq; populi lætitiā, ut nemo omnino ſit, qui de hoc Tuo præſtantiſſimo nō lætetur honore, ſuūque erga Te ſtudiū atq; animū non teſtetur. Lætatur Patria quod Te Parentem ſuum Optimū, libertatis, legum, Religioniſque Chriſtianæ, quâ Polonis noſtris nihil eſt antiquiùs, vindicem & propugnatorem acerrimum eſt nacta. Miro, & incredibili perfunditur gaudio Senatus, quod Te eum in ſuum ordinem allectum eſse videt, cujus tantam fidem, diligentiam, induſtriam, laborem, conſilium in tot geſtis Magiſtratibus Reſpublica eſt experta, ut ſalutem integritatemque ſuam à Te defenſā & conſervatā, Tibiq; acceptā referat. Maximâ afficitur lætitiâ Equeſtris Ordo, quod Te illum Palatina digni-

dignitate exornatum conſpicit, qui illius Fautor, Defenſor, Conſervatorque ſemper exſtitiſti. Exultat denique & totis quodâmodo ſubſilit artubus *Volhyniæ* Provincia, quod Te eum ſibi in Rectorem Dei beneficio & munere à Rege conceſſum eſſe intelligit, in quem ad obeundas muneris hujus partes, tot & tanta & animi, & corporis, & fortunæ congeſta ſunt ornamenta, ut neque ad dignitatem ſuam illuſtrandam, neque ad gloriam nominis ſui amplificandam, aut honorificentius aut dignius quidquam Te eſse putet. Atque quod ſibi Tecum fortunam, felicitatem, omniumque bonorum conſenſum affulſiſſe credat, ad teſtanda lætitiæ, voluptatiſque ſuæ ſenſa, quâ ſe, Civiumque ſuorum animos demulceri ſentit, conformatâ quâdam ad dicendum voce ita quodammodo ad Te loqui, atque hæc dicere videtur: O! me felicem, quæ ex tot clariſſimis præſtantiſſimiſque Reipublicæ hujus Provinciis unica reperta ſum, ut Te Palatinum, Rectoremque meum haberem! Tot inter ſe votis deſideriiſque certabant Provinciæ, ut ſvaviſſimo Tuo fruerentur conſpectu, & vel uno die Sapientiſſimi Tui regiminis deguſtarent dulcedinem, hæc tamen, præter me, nulli contigit fortuna. Ego digna habita ſum, quæ os vultumque Tuum ſemper contemplarer, quæ præclara animi Tui ornamenta veluti in depoſito quodam apud me aſſervarem, quæ laudibus Tuis viverem, & incredibili rerum à Te geſtarum gloriâ ad immortalitatem proveherer. Mihi conceſſum eſt, ut Te Ducem Principemque Senatûs, Nobilitatiſque meæ haberem, Tuique imperii ſvaviſſimos deguſtarem fructus. Accipe me itaque jam in fidẽ ac defenſionẽ Tuam, Tibi me ego committo, totamque incomparabili Tuæ prudentiæ regendam trado. Tu ut optimus Parens mei curam geras, ut Sapientiſſimus Senator ſaluberrimis Tuis conſiliis ad incrementum alas, ut amantiſſimus Patriæ Civis amore & benevolentiâ me Tuâ complectaris. Non ego pericula & calamitates ullas vereor, non hoſtem reformido; Te Duce, Te Auctore ab omni hoſtium metu ſecura vivam, ſub Tuoque imperio jucundiſſimo pacis otio diffluam. Hæc *Volhyniæ* vox, hic Patriæ, Senatûs, Equeſtriſ-

que Ordinis de Te ſenſus, hoc conſtans & æquale omnium judicium, Te eſſe ita de Republica optime meritum, ita omnibus virtutibus Senatore dignis inſtructum, ut de Tuo omnes & lætentur & gratulentur honore.

Quod ſi ita de Te JLLUSTRISSIME PALATINE univerſi ſentiunt, ita ſinguli prædicant, reliquum eſt, ut, cùm communis Reipublicæ ſalutis, tum univerſæ Provinciæ noſtræ utilitatis causâ fauſtiſſima Tibi quæque in hac dignitate precemur. Faxit itaque Deus, Ter Opt. Max. ut Tibi omnia in hoc honore ex animi ſententia ſuccedant, & quem claritate Generis, magnitudine meritorum, pulcherrimiſque animi Tui ornamentis Tibi promeruiſti, ut eô Patriæ ad columen, *Volhyniæ* ad ornamentum, Tibi Familiæque Tuæ ad gloriam, nobis vero totique Ordini noſtro ad præſidium ſanus & incolumis diu feliciterque fruaris. Hoc Tibi Collegium *Varenzense*, quod voluntatem ſtudiumque ſuum in Te hac exigua Oratione teſtatum habere cupiens, Tuo ſe totum ultro alacriterque committit patrocinio, hoc univerſa *Scholarum Piarum* precatur Provincia.